

ad Cosinum, ac Franciscum Florentiam contenderet : qui non minus virtute, quam splendore in sibi delato munere perficiendo decertarunt. 1565

*Cardinales
a Pio Pon-
tificis electi.*

Pius vero Pontifex, Romæ tribus ac viginti Cardinalibus creatis, inter quos Zacharias Delphinus, apud Maximilianum Nuntius; Aloysius Pisanus, Patavinus Episcopus; Joannes Franciscus Commendonus, Zacynthi Antistes, apud Sarmatas legatus, Veneti; Vercellarum quoque Episcopus, apud Rempulicam Nuntius; cum Melitenses equites, oppugnante insulam Suleimano, pecunia, ac milite juvisset, atque ex soluta insulæ obsidione publica lætitiæ signa, solemnibus supplicationibus indictis, dedisset: tandem decembri mense vehementi fluxione, assiduaque febris correptus, quam plerique e liberiore victus ratione contraxisse arbitrabantur, nocte, quæ quintum idus decembris est subsecuta, sextum ac sexagesimum ætatis annum agens, cum pontificatum fere sex annis gessisset, excessit. Pontifex omnium, qui nostra tempestate fuere, Venetæ Reipublicæ amantissimus, quacum communicatis consiliis, pacem in Italia aluit; catholicam religionem firmavit; pontificiam auctoritatem stabilivit; Concilium perfecit, quo Sacrosanctæ religionis dogmata, depulsis hæresibus, sancita, ac corroborata sunt. Venetorum dignitatis augendæ studium, compluribus, ac illustribus argumentis ad posteritatis memoriam editis, testatus: cujus obitu civitas universa summo dolore correpta est.

*Pii Pontif.
obitus.*

Eodem anno Alexander Bonus, Marini filius, Decemvirum decreto capitali supplicio est affectus; qui acre ingenium, rerumque maritimarum usum, ac peritiam augendæ rei cupiditate, novo, atque inaudito scelere corrupit. Nam conspirationem in urbe agitari commentus, re uti ab alio accepta ad Patres delata, ingenti metu civitatem replevit; esse qui occulto arma compararent; socios facinoris, ædes, quo se reciperent, habere; cunctaque adeo callide ad fallendum effinxerat, præfracto mendacio veri specie imposita, ut Comitiorum dies intermitterentur. Verum cum mora res extraheretur, initio cunctorum mentes suspensione detineri, fluctuare, inter dubium rei exitum hædere. Cum tandem Nicolaus Pontius, vir perspicaci admodum ingenio, Cur, inquit, mortalium

*Alexander
Bonus capi-
re damna-
tus.*

men-